



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

Quid & quotplex sit Iustificatio 13

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

"bonę conscientię cui contradicat Liber.

Responsio ad primum caput huius accusationis.

Quid & quotplex sit Iustificatio.

C A P . XIII.

**V**OCABULVM Iustificari & Iustificatio variè in scripturis v-  
surpatur. Aliquando enim significat iustum pronunciare, &  
absoluere in iudicio, ut *Iudicate pauperi & pupillo, & iustifi-*  
*cate*, hoc est, iudicium facite & pronunciate, afflito & ege-  
no, Psal. LXXXII. Hoc sensu & intellectu istius vocabuli dixerunt APO-  
stoli, *Nos iustificari à peccatis*, hoc est, absolvi, & in gratiam recipi per  
Christum Dominum si verè credamus in eum. Ut Act. 7. Notum igitur Christum  
sit vobis vniuersis, quod per hunc vobis remissio peccatorum annun-  
ciatur, & ab omnibus (intelligit transgressionibus ac meritis suppli-  
ciis) à quibus non potuistis per legem Mosis iustificari (hoc est absolvi,  
mundari & liberari) per hunc omnis qui credit iustificatur. Item Roman. 3.  
*Omnes enim peccauerunt, ac destituuntur gloria Dei: iustificantur autem gra-*  
*tis per illius gratiam, per redemptionsm qua est in Christo Iesu, &c.* hoc est  
consequuntur remissionem peccatorum, & rursus in gratiam Dei reci-  
piuntur, donanturque gloria Dei. Item: *Sicut per unius delictum, propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem: ita & per unius iustificationem propagatur bonum in omnes homines ad iustificationem vita.* Rom.  
5. Quod iam iustificatio vita per Christi iustitiam acquisiuit, & quæ  
condemnationi peccatorum opponitur, aliud significabit quā remis-  
sionem peccatorum, & gratuitam adoptionem ad vitam æternam ex  
condemnatione peccatorum, propter iustitiam Christi? In eodem om-  
nino sensu pronunciauit Dominus de Publicano, quod discesserit à  
templo iustificatus magis quā Pharisæus, hoc est absolutus à pecca-  
tis, & denuò in gratiam Dei receptus, sicut etiam orauerat, Deus propi-  
tius esto mihi peccatori.

Hæc summa iustificatio, quæ est remissio peccatorum, & acceptatio  
in gratiam Dei è duabus rationibus nobis obtingit. Primum, cùm ab ini-  
tio remissionem peccatorum, adoptionem diuinam, & hereditariam  
iustitiam ad vitam æternam in Baptismo percipimus. Deinde, cum re-  
missionem peccatorum, in quæ post acceptam adoptionem diuinam  
adhuc proh dolor! quotidie prolabimur, exoramus & impetramus à  
Domino. Interim tamen iustificatio nostra coram Deo nihil aliud est,  
quā remissio peccatorum, & grata acceptio in gratiam & adoptionem  
Dei propter Christum.

Hoc discrimen prioris & posterioris iustificationis, tum à grauiori-  
bus peccatis, tum à quotidianis, nullo modo circuivit, vel tacite præter-  
misit. Nam de iustificatione, quā post Baptismum, & acceptam gra-

tiam Christi assequimur, in articulo de Conuersione à peccatis, & poenitentia satis prolixè dictum est, qui legatur, & apparebit Aduersarios iniuriam facere Libro, in eo quod scribunt, Eum vnicam tantum docere iustificationem, hoc est, quæ ab initio adoptionis diuinæ percipiat, tacere verò illam, quam quotidie, cùm nos ad gratiam Dei conuerimus, percipi mus in Christo.

Vbi enim liber Reformationis ponit, In his duobus capitibus, remissione peccatorum, & donatione iustitiae Christi, per fidem acceptæ, vnicam & veram iustificationem, quæ coram Deo valet, positam esse, non hoc vult, quasi non etiam post acceptam salutem à peccatis per gratiam Dei iustificemur: sed testatur solum, veram nostri iustificationem, siue à principio salutis nostræ fiat, siue post acceptam salutem, semper in eo consistere quod Deus ex gratuita misericordia nobis peccata remittit, & filii sui iustitiam nobis donat & imputat: quām tunc dēmum percipimus, cùm id firmiter & indubitate credimus. Et hoc quoque Aduersarij fatentur. Quare quicunque Librum Reformationis, & Aduersariorum accusationem pia mente leget, & inter se conferet, is facilè perspiciet, Aduersarios contentiones & rixas quærere, vbi nulla illis occasio oblata est.

### Alterum caput huius Accusationis.

#### *De essentialibus partibus Iustificationis.*

#### C. A. P. XIV.

 On maioris momenti est, & hæc altera huius loci Reprehensio. Dicunt enim Scripturam quatuor capita Iustificationis includere. Primum remissionem & ablutionem peccatorum, per imputationem iustitiae Christi. Alterum, reconciliationem cum Deo, & assumptionem in filios adoptionis per regenerationem. Tertium, renouationem Spiritus sancti, quam is facit per diffusionem charitatis in corda nostra. Quartum, donationem vitæ æternæ, cuius per iustificationem heredes efficiuntur secundum spem.

#### *Responsio.*

**P**rimum, In qua scriptura legitur, primam ac principalem iustificationem has quatuor partes, quas enumerant, in se includere? Quid aliud est remissio & ablutio peccatorum per imputationem iustitiae Christi, quam Aduersarij primam Iustificationis partem faciunt, quām reconciliatio cum Deo, quam ponunt alteram.

S. scriptura de Iustificatione docet, quod sit gratuita peccatorum remissio, & in gratiam Dei acceptio, denique communicatio vitæ æternæ in Christo Domino, sicut dictum est: cui necessariò adhærent omnes illæ partes, quas Aduersarij enumerant, & longè etiam plures. Paulus Rom.